



DISPUTATIO INAUGURALIS
DE

IGNORANTIA
JURIS.

QVAM

Christo Præside omniscio,

EX

DECRETO ET AUTHORITYATE

MAGNIFICI ET AMPLIS-

SIMI Jctorum ORDINIS IN CE-
LEBERRIMA ARGENTORATIENSIS
UNIVERSITATE,

PRO

*Summis in utroque Jure honoribus, privile-
giis ac immunitatibus Doctoralibus
rite consequendis,*

SOLENNI examini submittit

JUSTUS Bilstein / Marsbergâ-
Westphalus,

die 7^{to} 16. ^{Aprilis} Martij, Anni 1640.



ARGENTORATI

Typis JOHANNIS REPII.

276.

12

1640, 2.



PRÆILLUSTRIBUS
AC GENEROSISSIMIS COMI-
TIBUS AC DOMINIS,

DN. W O L R A D O,
COMITI in Waldeck / Birmond & Rüllens-
berg / DOMINO in Tonna / Palant / Wits-
tumb / Wertte / Kinsweiler / Bachum, &c.

ET

DN. P H I L I P P O,
COMITI in Waldeck & Birmond /
DOMINO in Tonna / &c.


Dominis suis Clementissimis

Hanc inauguralem

offert & dicat humillimè

devotissimus

JUSTUS Bilstein.



DEO PRÆEUNTE NULLUS OFFICIT OBEX.

THESIS I.

DE JURIS IGNORANTIA disputaturus rem non minimam aggredior: (liceat his Justiniani Imp. nostri celeberrimi (elogio Imp. Leonis Nov. 1. pr.) sine jactantia uti verbis.) sed in omni penè corpore juris effusam, distractam variè & dissipatam valdè. Et quamvis veritas hujus rei ulteriore non egeat probatione: ipsa enim se in latioribus Digestorum libris ostendit ultrò ac passim: attamen unius auctoritate Cujacii (qui summus divini Themidos oraculi vates atque antistes laudatur à P. Fabr. J.C.) illam firmare quid vetat? Sic autem ille in *Recit. Solenn. ad l. 1. h. r.* Hæc distinctio inter ignorantiam juris & facti non observatur tâtùm in bonorum possessionibus, sed etiam in OMNI parte juris. Magnum itaque opus & mihi periculosum: verum tamen dignum, in quo omnes nervos meæ industriæ ac scientiæ intenderem.

2. Ceterùm quia ratio instituti non permittit, ut de hoc argumento eâ, quâ par est, amplitudine & dignitate in hac inaugurali disputatione singula pertractem. Illud enim si mihi proponerem, non disputatio, sed largi scribendi essent tractatus: (ut in similiait Giphani. in *Cod. ad l. 10. h. r.* quod Glossographi largos tractatus *de d. l. 10.* ediderint: nedum, si quis totam materiam.) sive ut Gajus loquitur *l. 1. de O. I.* commentarii verbosi: at ego eâ me sentio naturâ progenitum, quem non verba, sed utilitas vel maximè moveat, ut hoc mihi de suo communicet genio. Joh. Baptist. Costa *tract. de fact. scient. & ignor. Inspect. 1. n. 6.*) Quare *σκηνογραφίαν* quandam Ignorantiæ juris impræsentiarum proponam. Hoc dum facio, Christe lux meam illumina mentem, ut Te veritatis scientiam videam ac sequar. Nam

Qui sequitur Te, non ambulat in tenebris.

3. Quanquam verò in vestibulo hujus tractationis non ignorem illud Clementis Alexandrin. *lib. 6. Strom. Δύο εἰσιν ἰδέαι τῆς ἀληθείας τὰ τε ἰνόματα καὶ τὰ πράγματα*: sequestratâ tamen explicatione ὀμωνομίας nominum sive vocum IGNORANTIÆ sc. (quem laborem occu-

A 2 pavit

pavit Joh. Bapst. Cost. de tract. Insp. do. n. 10. & seqq.) & JURIS (cujus ambiguitatem extricat C. I. A. de l. & l. th. 5.) res ipsa potius consideranda venit; sumpto initio à definitione:

4. Definitio IGNORANTIAE JURIS in jure nostro nulla proponitur. Traditur autem non una ab Interpp. Cujacius in parat. ff. h. t. hoc modo: IGNORANTIA juris est stultitia sive error hominis nescientis. Haut, ut videtur, satis commodè. Genus enim non debet prædicari conversim de sua specie: ad Scheibler. Topic. c. 28. n. 141. Atqui nostri authores, inquit Cujacius (comm. in Papin. quest. lib. 19. ad l. 7. ff. h. in pr.) stultitiam vocant juris ignorantiam, stultum, juris ignarum.

5. Neque rectè ERROREM generis loco posueris cum eodem: quippe ipse iterum d. loc. ait, juris ignorantia stultitia potius est, quàm error. Error enim propriè est ignorantia facti. Atqui Rittershus. in comm. ad l. 23. de Reg. jur. c. 5. & cum eo Philosophi ajunt, species separata de se invicem non prædicantur propriè loquendo: neque rectè dicitur bos est talpa: vel commodatum est locatio. Ergò nec ERROR (qui est propriè per Cujac. ignorantia facti) de ignorantia juris, ut genus, prædicabitur rectè. Cetera incommoda tacebo.

6. Commodiorem itaque amplector, sive definitionem sive descriptionem dicas, quàm idem Cujac. d. loc. proponit: IGNORANTIA JURIS (a) est ignorantia ejus juris, (b) quod sciunt omnes.

7. Satis appositè ad nostrum scopum. Privatio enim definiti debet mentione subjecti & oppositi habitus, uti colligitur ex Aristot. 6. Top. c. 5. ubi hoc declaratur exemplo ignorantia. Quod, cum faciat ad illustrationem & defensionem definitionis Cujacianæ, adduxisse operæ pretium erit. *Vi si quis, inquit ille, ignorantiam privationem dicat, nec addat privationem esse scientiæ, aut non adjungat in quo versari solet, aut si adjungat, non dicat in quo primo id habitare solet, ut si quis non in ea parte animi quæ rationis est particeps, sed in homine vel in animo, aliquid situm esse definiendo explicet. Si enim quid horum prætermiserit, aberrabit.* Omnia præstitit hic Cujacius. Nisi hoc ipsi obvertatur, quod subjectum remotum expresserit, omnes scilicet homines, cum intellectum debuisset. Sed facilis hujus rei absolutio erit, si dicatur: aliter leges (& harum sacerdotes) aliter Philosophi tollunt astutias: illæ quatenus tenere manus res possunt; philosophi quatenus ratione & intelligentiâ. Cic. 3. off. sect. 68. Et hoc modo se tuetur, suasque definitiones, Jctus Mejerus C. I. A. th. 3. de privat. delict. conf. disputat. de Culpa. th. 61.

8. (a)

8. (a) Quæ dicitur quoque error juris. *l. 8. h. r. error in jure l. 2. h.* Non quod negem hæc ab invicem differre: sed quod in hoc tractatu promiscuè usurpentur. ut apparet ex *l. 8. junctâ l. 4. 9. §. 3. h.* Donell. in *comm. lib. 1. c. 19. inf.* Differunt enim aliàs error & ignorantia. *l. ult. §. 5. & 10. ff. de publican.* error quippe est falsa opinio ex ignorantia contracta. Ignorantia est inscientia. Donell. *d. l.* Et ignorantia est mater cunctorum errorum. *c. 1. dist. 38.* E.g. Ignorat se heredem institutam, qui se institutum nescit, etiamsi in hanc partem non propendeat, ut putet se non esse. At qui ignorat, & amplius ex hac ignorantia eò adducitur, ut se institutum non putet, errat. Unde quoque ab errore ad ignorantiam argumentum est inefficax. Joh. Maurit. *tr. de restit. in integ. cap. 7. 2. n. 1.* Menoch. *de præsumpt. lib. 6. 23 præf. n. 7.* II. Appellatur etiam imperitia. *l. 40. de administ. tut. l. 8. §. 2. Qui satisd. cogun.* III. Quandoque imprudentia, *arg. l. 17. §. 4. ibi: ab imprudentibus, id est (ut explicat Brisson. de V. S. in voce Imprudens) imperitis juris.* IV. Dicitur etiam stultitia, *arg. l. 9. §. 5. ff. h. & l. 4. ff. Quod vi aut. clam vid. th. 4. & th. 26.*

9. (β) Non utique juris nostri sive jurisprudentiæ, Cujac. *d. comm. ad l. 7. h.* Sed juris naturalis gentiumve, hoc enim sciunt omnes. Habet quippe jus gentium rationes naturales, quæ insitæ omnibus à natura sic notæ sunt, ut argumento nullo indigeant, nullâque quibus approbentur arte, Alber. Gentil. *de legat. lib. 2. c. 18.* Et hoc est jus quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, *§. 1. Inst. de jur. N. G. & C.* & jus naturale dicitur *§. 11. Instit. de rer. divis.* Quod non didicimus, accepimus, legimus; verum ex natura ipsa arripimus, hausimus, expressimus: ad id non docti, sed facti: non instituti: sed imbuti sumus: ut per quàm eleganter perorat, oratorum faciliè princeps, Tullius in *orat. pro Milon.* In eamque rem Apostoli Pauli *ad Rom. c. 2. v. 15.* testimonium omni exceptione majus est, ubi appellat opus cordibus inscriptum. Atque adeò ut nec ignorari aut ex animo deleri possit, nisi ipsi naturæ vim feceris, modo communissima ejus præcepta spectes, inquit Horneius *lib. 3. Eth. c. 4. n. 17.* Hinc in legibus nostris sæpissimè ad naturam provocatur: ipsâ naturâ manifestissimum est. *l. 75. §. 4. de V. O.* palàm naturali ratione. *l. 1. §. 9. de O. & A.* naturalem habet intellectum. *l. 5. de serv. export.* natura docet. *l. 220. §. ult. de V. S.* sic naturâ probum. *l. 42. d. t.* Sed quid multis opus est verbis in notoriis, quæ non indigent probatione. *c. Tua nos. extr. de cohab. cler.* ut frustra sit, quidquid rei demonstratæ additur satis demonstratæ. *l. 1. §. 8. de dor. præleg.*

10. Hinc autem consequens erit, dicas, ut hactenus ignorantia juris naturalis non detur. Certè in re tam evidenti fieri facilè non potest, ut quis illud ignoret, sed tamen culpà & amore peccandi notitià juris naturalis carent multi, atq; extinxere hanc olim non pauci, quod fieri posse testatur Aristot. *6. Eth. c. 1. in fine.* Et verba sunt Summi Theologi D. Doct. Gerhard. *in tom. 7. de conjug. §. 309. in fine.* Notitia juris naturalis in multarum gentium cordibus opprimitur. Idem §. 310. vid. Dom. à Soto *Quest. 1. art. 2. lib. 3.* & omnino Arnif. *de Republ. c. 1. sect. 11. n. 19. & c. 3. sect. 5. num. 8.* Et hoc Historiæ testantur abundè. vid. Horn. *d. l. p. 596. n. 29.* Et hæc de quæstione *An sit?*

11. Sic ignorantia juris naturalis labitur mulier, quæ scit se esse sororem alicujus viri: putet autem hoc non obstante se illi matrimonio jungi posse. Et huc exemplū Thamaræ faceret. *2. Sam. 13. v. 13.* putantis se fratri suo nubere posse ex consensu Regis: nisi illam non tam ob ignorantiam; quàm ut præsentè & petulantem fratris Hammonis impetum evitaret, in talia erupisse verba, credamus. Joseph. *7. antiq. 8.* Sed notum, aliàs quod naturale fœdus inter sorores & fratres tale quid non permittat. *arg. l. 19. C. de Episc. & cler.* Et rectè notat Augustinus mixtiones horum à natura damnari, teste Arnif. *de Republic. c. 1. sect. 2. n. 28.* Quod etiam probat Alber. Gentil. *de nupt. lib. 5. c. 8. ubi contradicentibus respondet.*

12. Porro omnes quoque sciunt jus civile; quia debent leges sacratissimæ ab omnibus intelligi. *l. 9. C. de LL.* Unde nec Imp. constitutiones Principum quemquam ignorare permittunt. *l. 12. C. h. Sci-re quippe & scire debere ac posse sunt paria, Dd. ad L. quod te. ff. si cert. per. Surdus consil. 49. n. 12.* Et Cujac. *lib. 3. Respons. Papin. ad l. 41. de actio. empt. per l. pen. ad SC. Maced. l. 48. pr. de fidejuss. l. 1. §. 2. de adil. edict.* Et Cicet. *3. de off. unus, quia scire potuit, alter quia scire debuit: utrumque idem potest.* Et ita Græci *in l. pen. de condict. caus. dat.* ad illa verba, *ut sciret se invito domino uti:* hæc suppleunt *γινώσκων ἢ ὀφείλων εἰδέναι.* vid. tamen Joh. Baptist. Costa. *d. tract. insp. 65. ubi limitatur.* Nec hoc durū videri debet, cum leges & edicta olim ut ab omnibus apertius scirentur, palàm edita in albo, aut edito loco proposita fuisse constet ex *l. 7. de jur. dict. l. 203. pr. de V. S.* Et hoc sine etiam LL. XII. Tab. in æreas tabulas (quod tamen rectius negat Bachov. *in comm. ad τὰ πρώτα ff. l. 2. §. 4. de O. l. sed æreas fuisse affirmans*) perscriptas fuisse, ut possent apertius percipi, testatur Gajus *in d. l. 2. §. 4.* Quâ ratione etiam Charondas suam nomothesium in epulis festis post Pœanas tâquam necessarium quoddam carmen recitari voluit. Sic Cretenses dulcedine

dine musicæ liberos suos ad LL. ediscendas prolectârunt, ne quem ignorantia excusaret, qui adversus eas quid commisisset, Rittershus. in orat. præfixa comment. ad Instit. Ut adeò mens iniquissima Caligula fuerit, qui (Sueton. refert in Caligul.) ut populum irretiret vectigalia indixit, non autem proposuit: unde multa commissa facta. Tandem flagitante populo, proposuit quidem de his leges, sed & minutissimis literis & angustissimo loco, uti ne cui describere liceret, nec tamen ideò minus his tenerentur. Fraus profectò vulpeculâ, non Principe digna. Legem enim cujus ignorationem nemo prætexat, non latere sed proscribi oportuit, id est, sic apertè scribi, ut cunctis innotesceret & de plano legi posset ab omnibus. l. 11. §. 2. de instit. act. vid. Cujac. 7. obs. 29. Et huc faciunt verba Leonis, ipso Philosopho ac bono Imperatore digna: nō. inquit, arcana quædam sanctiones LEGIS sunt, ut à multitudinis intellectu remotæ esse debeant: sed potiùs, si fieri posset neminem illas latere, neque virum neque puerum neque mulierem oportebat. Nov. Leon. 77. Ut igitur illarum legum ignorantia justa: ita ritè publicatarum intolerabilis meritò esse debet. Proinde justè Aristotelis sententiâ 3. Ethic. puniuntur, qui quid eorum, quæ legibus continentur, ignoraverint, vel oportuit scire, & erat facilè ea scire. De quibus legibus & jure, definitio audienda est.

13. Nolim tamen, ut ea intelligatur scientia juris civilis, quæ cadit in Iurisprudentes, sed quam quis aut per se habet, aut consulendo peritiores assequi potest, ut diligentiorum patremfamil. consulere dignum est. l. 10. ff. de bon. poss. l. 2. §. ult. ff. Quis ord. in poss. serv. cui tam facile erit scire LL, si Jcti copiam habet, vel suâ prudentiâ instructus est, ut ait l. 9. §. 2. ff. h. Non exigimus, inquit Cujac. 5. obs. 39. ut omnes Jctorum artificia didicerint: sed communem eorum, quæ legibus continentur intelligentiam in omnibus exigimus. Exceptis tamen minoribus, fœminis, militibus, & rusticis: de quibus in effectu plenus. Ergò huic juris intelligentiæ communi oppositam ignorantiam in definitione accipe sis.

14. Hæc satis de definitione: quod si tamen ampliùs de majori perspicuitate illius quis sit sollicitus, exempla (his enim res plerunque fit manifestior Gothofr. ad l. 51. ff. ad L. Aquil. Hartman. Pistor. Quest. illustr. lib. 1. quest. 8. n. 5.) quidem non una proferrem, sed præstat è multis adduxisse notiora. Jus itaque civile ignorat. I. qui scit quidem defunctum esse cognatum, nescit autem proximitatis nomine bonorum possessionem sibi deferri. l. 1. §. 1. ff. h. t. Proximitatis verò nomine possessionem prætor defert illi, qui defuncto mortis tempore
proxi-

proximus cognatus fuit. l. 3. ff. Vnd. cogn. l. 8. ff. de suis & legit. Et hic separatur ab iis, qui jure agnationis ad successionem veniunt, l. 5. C. de leg. hered. l. 4. ff. Vnd. cogn. II. Qui scit se scriptum heredem, nescit autem scripto heredi deferri bonorum possessionem secundum tabb. d. l. 1. §. 1. nam is ignorat edictum. l. 1. §. 4. de bon. poss. sec. tabb. III. Idem est, si frater consanguineus defuncti, credat matrem potiore esse. d. l. 1. §. 4. Hic enim ignorat jus, tum vetus, quia Scto Tertulliano frater consanguineus matre potior erat & hanc excludebat, §. 3. l. de Scto Tertull. l. 4. vers. Quem quid. C. eod. Tum novum, quia ille unâ cum matre admittitur. l. ult. pr. C. d. t. §. 5. l. eod. IV. Si quis scit se cognatū esse: jura autem agnationis nesciat. l. 1. §. 2. h. Nam ignorat jus prætorium: jure quippe civile nullum jus agnationis: jure prætorio est. l. 1. pr. ff. Vnd. cognat. V. Si quis alii delatam esse bonorum possessionem, eumque non petisse, tempusque (quod pro conditione personarum diversum: in liberis ac parentibus annum: in exteris centum dierum est. §. 4. l. de bon. poss. ff. Utile autem intelligo tempus non continuum §. 6. l. d. t. l. 2. pr. quis ord. in poss. serv.) præterisse sciat, ignoret autem sibi ex successorio capite, id est, edicto competere b. poss., in jure prætorio errat, l. 1. §. 3. h. t. Nam eo tempore transacto bonorum poss. vel accrescit cæteris ejusdem ordinis, vel sequentibus ordinibus defertur. §. 5. l. de bon. poss. l. 1. §. 10. & seqq. de success. edict. VI. Idem dicendum, si quis ex asse heres scriptus nesciat licere sibi petere b. p. sec. tabb. etiam antequam aperiatur. d. l. 1. §. ult. h. Quamquam enim olim non poterat adire ante apertas tabb. ex L. Papia Cujac. in Parat. C. de cad. toll. Prætor tamen clausis tabb. illam pollicebatur. l. 1. §. 2. de bon. P. S. T. Et hodiè etiam Justinianus Imper. l. un. §. 5. C. de cad. toll. Itaque ante Justinianum, qui id nesciebat, jus prætorium ignorabat. Hæc sint exempla; quibus & olim illustrationis gratiâ usus est Jctus Paulus, cujus authoritati acquiescendum reor.

15. Ex his præmissis prono quasi alveo jam fluit divisio ignorantia juris: quæ juris est vel naturalis vel civilis. Vultej. *Iur. pr. Rom. lib. 1. c. 7.* Wesenb. *Parat. h. n. 4.*

16. Hæc ratione subjecti habet se vel negativè, & dicitur nescientia juris, quod quis nec scire potest, nec debet. Philosopho diceretur ignorantia κατ' ἀπὸ φύσιν. 1. *Post. Anal. c. 15.* Scholasticis verò invincibilis & antecedens voluntatem. Hujus probatio est in l. ult. ff. h. t. ibi: Impuberes (intellige de non proximis pubertati & de iis, qui sunt doli incapaces, Glos. d. l. arg. l. iii. de R. I.) sine tutore nihil posse scire: neque etiam tenentur. arg. l. 9. pr. ff. h. t. Quia nullum habent intellectum.

Etum §. 9. 1. de inutil. stipul. Unde Aristot. 1. Top. c. 1. concludit: quod planè scientiâ non est capax, id ignorare minimè videtur: sed id demum quod errat & fallitur. Itaque nec pueros ignorare dicimus. Aliud exemplum sumi potest, ex th. 12. ubi de LL. Caligula.

17. Vel se habet privativè: cum quis jus scire poterat ac regulariter debebat. Hæc Aristot. diceretur *κατὰ διὰθεσιν*. Scholasticis vincibilis. l. 9. C. de LL. §. 1. 12. C. h. t. l. 10. de bon. poss. confer supra th. 12. in pr. & th. 9. Jctis dicitur voluntaria.

18. Cæterùm licet hi Scholasticorum ac Philosophorum termini ac divisiones (quas, ut & Jctorum divisiones, eleganter in pulcherrimam consonantiam primò redegit Excellentissimus ac maxime Reverendus Dn. Doct. Dannhavverus, Præceptor, Patronus ac hospes meus nunquam non summo honore ac sanctâ observantiâ prosequendus, in Auctar. Quest. mor. quest. 5.) in hac materia recipi possent: tacitè quodammodo suffragante Glosâ, quæ differentiam quoque facit inter nescientiam ac ignorantiam. l. de statu. ff. qui test. fac. poss. & ad rubr. ff. h. Attamen si quis mecum serram contentionis præfractè reciprocare velit, cum d. gloss. (quæ quoad hunc tractatum differentiam non agnoscit) ultrò sum cessurus. Malo enim hic Capito esse, quam videri Labeo, l. 2 §. 47. ff. de O. l.

19. Causa efficiens pro diversitate subjecti alia atque alia esse potest. In impubere ac minore imperfecta ætas, arg. §. 9. 1. de inutil. stip. l. 11. C. h. In fœminis sexus infirmitas l. 9. pr. ff. h. In milite armatæ militiæ simplicitas. l. 1. C. h. In rusticis, rusticitas. l. 2 §. ult. ff. de jur. fisc. Et quandoque etiam Jcti inopia ac caritas arg. l. 9. §. 3. ff. h. Sed hæc non aliter causa dici meretur, ac absentia gubernatoris à navi, dicitur causa naufragii, s. metaph. c. 2 t. 2. Et ut remotio columnæ causa dicitur ruinæ forniciis. s. Phys. c. 4 n. 32. Quemadmodum enim, ut præsentia Naucleri naufragium impedire potest, fit, ut ejus absentia, naufragii causa dicatur: quia cum præsens est, causa est hujus, idem cum abest causa est contrarii, ait Philosoph. Sic cum copia Jcti faciat, ut cupiam facile sit jus scire. d. l. 9. §. 3. fit, ut ejus inopia sive absentia sit causa contrarii, id est, ignorantia juris. In aliis causa est voluntas, conf. th. 10. Quotupliciter autem voluntas possit esse causa ignorantia, id pete ab Horn. d. l. n. 14. & 2. Eth. c. 4 n. 2. Quandoque etiam, impossibilitas, unde ignorantia LL. Caligulæ supra th. 12. An & multitudo LL? conf. Parthen. litigios. lib. 1. c. 7 n. 21.

20. Materia hujus vel est in quâ vel circa quam. In quâ sive subjectum est homo, fac. l. 3. §. 1. h. ut impuberes. l. ult. ff. h. miles. l. 9. §. 1. ff. h. l. 1. C. h. minores. d. l. 9. pr. h. mulieres. l. ult. C. eod. Rusticus. l. 2. §. ult.

B

ff. de

ff. de jur. fisco. heredes Cargiliani. l. 9. §. 5. ff. h. major 25. annis, l. 2. C. h. emancipata. l. 3. C. h.

21. Materia circa quam sive objectum est vel civile vel incivile: hoc est delictum sive crimen. *l. 9. pr. ibi delictum ff. h. e. g. adulterium, incestus, l. 38. ad L. lul. de adulter.* Illud spectatur in negotiis honestis: quæ omnia justo ordine disponere, quia majoris & operæ & temporis, jam omittenda sunt. *conf. th. 1.* Colliguntur tamen ea quæ his titulis proponuntur. I. versatur circa usucapionem. *l. 4. ff. h. l. l. circa bonorum possess. l. 1. §. 1. & seqq. l. 3. C. h.* II. conditionem indebiti. *l. 10. C. h. l. 9. §. 5. ff. eod.* IV. Exceptiones, *l. 1. C. h. puta peremptorias, veluti doli, rei judicatae &c §. 9. Inst. de Except.* V. Renuntiationem hereditatis. *l. 2. C. h. VI. Circa L. Falcid. l. 9. §. 5. ff. h.*

22. Omissis reliquis causis, utpote, quæ in hoc tractatu apud Dd parum attenduntur, ad affectiones ignorantia juris progredior. Hæ autem sunt. I. Ejus non tantum allegatio: omnino illa allegari debet, ut ex Bart. confirmat. *Wesemb. h. n. 4. inf.* II. Sed etiam probatio: quia quisque jus, quod scire debet. *l. 9. C. de ll. scire præsumitur Bart. in l. 25. §. 6. ff. de hered. pet. per l. 7. C. de agr. & cens. 11. 47.* Quicquid autem præsumitur non debet probari, sed ejus contrarium. *C. I. A de probat. th. 7. in pr. & circ. med.* Ignorantia igitur juris, utpote contraria scientiæ, probanda est. *Treutl. vol. 2. disp. 4. th. ult. G.*

23. Ast cum hæc ignorantia in animo consistat, & idcirco difficilis sit probationis. *Cost. d. 17. Inst. 84. n. 1.* Quæstio Dd. est, an juramento probetur? Videtur mihi aliquatenus incircumspectius illud quæri: jusjurandum enim proprie probatio non est. *l. 3. C. de Reb. cred. sed relevat ab onere probandi. l. 10. pr. de jurejur.* Nec per juramentum quis dicitur probare proprie secundum Dd. relatos à Dec. *in rubr. n. 2. extr. de prob.* Et hanc tanquam opinionem tutiorem ac magis communem & in judicando & consulendo sequendam esse, statuit *Fran. isc. Vivius in sylv. comm. opin. 423.* Sed concessio hoc: ex ratione tamen Dd. negativa verior videtur. Quia contra quos est præsumptio juris aliqua, eis non debet sacramentum deferri. *Menoch. de arb. jud. quest. cas. 186. n. 7. & cons. 74.* Nec potest esse locus probationi per juramentum, cum scientiæ præsumptio resistit, ait *Cephal. cons. 313. n. 32.* adde *Wesemb. h. n. 4. in fine.* Et licet quæ in animo consistunt, per simplicem assertionem cum juramento probari possint. *Zaf. ad §. 1. Inst. de act. n. 22.* statim tamen idem subiicit limitationem: modo ne sit præsumptio juris contra asserentem per *Bartol. in l. inter omnes. §. recte. ff. de furt.* Qualis hic utiq; est, ut d. th. præced. Unde etiam *Bachov.*

Bachov. ad Treutl. vol. 2. disp. 4. th. ult. F. G. dicit, vix sufficere solum juramentum, nisi aliæ concurrant conjecturæ: licet fortassis (*dubitanter*) ad effectum excusandi sese ab aliqua pœna admitti possit.

24. Affectionibus etiam annumeranda est præsumptio: quatenus scilicet subjecta & causæ permittunt: ut in muliere ignorantia juris præsumitur, Glossa notab. in §. *suspectus, autem remotus, in verb. non aequè*. l. de *suspect. tutor.* ubi in vers. *sed certè*, ait, quod licet omnes debeant scire jura, excipiuntur tamen mulieres, minores & milites. Quibus addit Wesemb. h. n. 4. rusticos, scilicet in casibus jure expressis. Jason. ad l. 7. ff. de *jurisd.* Et Cujac. in *recit. solen. ad l. 7. in fine ff. h. t.* Ex his nunc, (ut translaticiè hoc moneam) connexio hujus tit. ff. h. cum præcedente faciliè intelligi potest. Treutl. vol. 2. disp. 4. th. ult. a.

25. Succedit tandem effectus, qui potissimum à Dd spectatur, ac desideratur sæpissimè. De hoc regula est, juris ignorantia cuique nocere. l. 9. ff. h. t. Et hoc meritò: quia jus finitum, id est, certum est, sanè potest esse & esse debet, ut eleganter ait Neratius. l. 2. ff. h. Et hoc ipsum, dum quis jus hoc ignorat, contra leges facit: tantùm abest ut feratur hæc ignorantia jure aut legibus, Donell. *comm. lib. 1. c. 23.* Non igitur fit hujus ignorantia excusatio adversus præcepta legum iis, quidum leges invocant, contra eas committunt, arg. l. 37. §. 1. in *fine. de minor. c. 23. extr. de elect. c. fin. extr. de immun. Eccles.* Ne melioris conditionis sint stulti, quam periti. l. 4. ff. *quod vi aut clam. cap. 18. de præbend. in 6.*

26. Stulti autem sive stultitia hic intelligenda talis, non quæ procedit à sensu naturali corrupto: sed ab actu qui geritur; quia stultè per imperitiam juris geritur: hanc nostri authores stultitiam vocant. l. 9. §. 5. in *fine ff. h.* Quod plenius explicat Donell. *d. loc. c. 23.* Imitatione forsan Stoicorum (à quibus omnes ferè Jcti fuerunt imbuti, asserente Cujac. in *recit. solen. ad l. 1. de just. & jur. confer. Gothofr. ad l. 1. ff. de ll.*) quibus vitiosi stulti dicuntur. Heins. *lib. 2. de Satyr. Horat. p. 211.* Maximè autem in vitio ponitur à Jctis, nescire leges quas sciunt omnes, quæ lata culpa & magna negligentia est, arg. l. 213. §. 1. de *V. S.* Glossa ad l. 11. §. 4. ff. de *his qui nor. in f.* Ut itaque justissimè stultitiæ suæ vestigal solvant, dum leges ipsis non succurrunt, d. l. 9. §. 5. in *fine.* Nec hoc iniquum, cum, qui jus non intelligunt, peritiores consulere possint. l. 10. de *bon. poss.*

27. Verùm, ut d. Regula magis exsplendescat, ambiguitates quædam terminorum removendæ sunt: utpotè Nocere, non - nocere, prodesse, non - prodesse; quæ utique multum differunt.

Nocere bifariam sumitur. I. Significat propriè damnum dare, incommodum adferre, obesse. *l. 1. §. 1. & præsertim. §. 21. ibi: noceat, non si non-profit. ff. de aq. & aq. pluv. arcend.* Et Senec. *Epist. 48.* Utinam tantum non prodesse! nocent. II. Idem denotat, quod non prodesse, id est, neque lucro afficere, neque damno eximere, quod clarius explicat Cujac. *5. obs. 5.* Annon sic in *l. 7. §. 11 ff. de pact. ubi Bachov.*

28. Sic PRODESSE etiam duo significat. I. Idem, quod lucrum adferre. *l. 21. §. ult. de pact. & alibi passim.* II. NON NOCERE, id est, damnum non adferre. Quo sensu videtur accipiendum in *l. 7. §. 2. de curat. furios.* ibi: *profutura, id est, non nocitura C. l. A. d. t. th. 9.* Ex his dictis, reliquarum vocum explicatio satis liquebit. Interim notandum, quæ dixi, non esse à *utrisque* vta. Omne enim quod nocet, utique non prodest: at non conversim. Sic quod prodest, utique non nocet: sed non contra. Et hæc observanda propter. *l. 7. & 8. h.*

29. Si jam quærat, quo sensu NOCERE in *d. regula* sumatur, dicam cum Cujac. *dict. obs.* id sumi pro NON PRODESSE, arg. *l. 9. §. 3. & 5. in fin ff. h.* Et, verò, inquit Idem. (*in recit. solen. ad d. l. 9. pr.* Regula ita accipienda est, non quasi juris ignorantia damni causa sit, sed quasi nec lucri causa sit. Ergo juris ignorantia neminem lucro afficit, etiam neminem damno eximit, etiam neminem damno afficit.

30. Videbor forsàn aliquid insolens dixisse, cum in multis juris partibus ignorantia juris propriè nocere dicenda sit. Unum itaq; alterumve exemplum adduxisse non nocebit. I. *l. 11. §. 4. ff. de his qui noc. infam.* ubi, qui duxit per ignorantiam juris uxorem eam, quæ nondum eluxit priorem maritum, notatur infamiâ. E. *nocet.* Resp. Non juris ignorantia: sed facti improbitas in Edicto Prætoris expressè prohibita, hujus infamiæ & sic damni causa est: quam infamiam non arceat vel avertit juris ignorantia. Unde non debet dici illam NOCERE: sed NON PRODESSE; quia non conservat famam, avertendo scilicet infamiam.

31. II. Qui solvit indebitum per errorem juris non condicit. *l. 9 §. ff. h. l. 10. C. de l. error. C. ad L. Falcid.* Ergò nocet. Resp. negando consequentiam. Et ipse Imp. Div. Pius in *d. l. 9. §. 5.* satis apertè respondet heredibus Cargilianis; (qui se repetitionem pecuniæ errore juris solutæ habere credebant) sciant ignorantiam juris NON PRODESSE, arg. *d. l. 9 §. 5. in f.* Ignorantiam enim juris non facit, ut ei, cui aliàs competit, condictio indebiti (ut ex transactione imperfecta. *l. 23 §. 2. de cond. indeb.*) adimatur & denegetur. Giphani in *Cod. ad l. 10. C. h.* Sed

con-

conditionem non parit, & sic non prodest. De aliis Legibus contrariantibus in conflictu.

32. Cæterum d. regula ex eo sumpta est, quod ἐπὶ τὸ πλεῖστον, ut plurimum, ita se habet. Duplex aliàs recipit moderamen, & quodammodo perdit officium suum. I. Commune est omnibus, quibus non suppetit copia Jcti, quique nec suâ prudentiâ instructi sunt: l. 9. §. 3. b. l. 10. ff. de bon. poss. l. 2. §. ult. Quis ord. in bon. poss. serv. Quid enim impurari potest ei, qui scire etiam si vellet non potuit? argum. l. 17. §. 3. ff. de usur. Quod tamen raro accipiendum. d. l. 9. §. 3. b. quia multa sunt, quæ debent omnes scire per se, ut fidem datam esse præstandam, non esse delinquendum: reliqua à peritis petenda: veluti quomodo testamenta fiant. Pac. in Analys. C. h. r. num. 8. Non igitur à Cujac. ad l. 7. in comm. ad Papin. quest. lib. 19. ad solum rusticum aptè restringitur d. l. 9. §. 3. b.

33. II. Proprium est, quando juris ignorantia versatur circa damna vel compendia sive lucra: In Cõpendiis seu lucris Papinianus (sic emendanda in scriptio. l. 7. b. in edit. Gothofr. An. 1626. & 1628.) hanc tradit definitionem in d. l. 7. b. t. Juris ignorantia non prodest acquirevolentibus. Et l. 8. eod. Nec fœminis in compendiis prodest. Et l. 10. C. h. Nec in lucro fœminis jus ignorantibus subveniri solet. Et ratio est, quia talis ignorantia videtur affectari & simulari lucris causa. Cujac. in nor. solen. ad l. 8. b. r. Conclusio itaque esto: in lucris juris ignorantiam neque fœminis neque maribus prodesse. dd. ll. & l. 2. C. h.

34. Compendium verò sive lucrum nihil aliud intelligo, cum Cujac. quàm quod ex alieno mihi obvenit sine ullo onere meo. Adquisitionem esse lucrum, quod obvenit sine deminutione rei suæ. E. gr. quod acquirimus ex venditione, evictione non est lucrum, si emero verò pretio, sed quod acquirō ex legato, ex donatione est lucrum.

35. Et hujus lucris species quoque est usucapio l. 18. & 19. Ex quibus caus. majo. Unde in hâc juris ignorantia negatur prodesse. l. 4. ff. b. l. 37. pr. de usuc. l. 2. l. 15. ff. pro emptor. Nec in jure erranti procedere usucapionem, dicit: l. 32. §. 1. ff. de usucap.

36. Sic non prodest in bonorum possessione. l. 10. ff. de bon. poss. putà non prodest jus ignorasse, quo post cõstitutata bonorum possessionis agnoscendæ tempora quis admittatur.

37. Et licet fœmina jus ignoraverit, tamen non prodest. l. 6. C. qui adm. ad bon. poss. l. ult. C. qui pet. tut. Et hoc regulariter, ut subindica-

cat. l. 11. C. h. ibi: non solet: quæ regulam notant, ut l. 39. ff. loc. cond. l. 42. de cond. indeb. l. 58. l. 94. de R. l. 38. §. 6. ff. ad L. lul. de adulter.

38. Excipiuntur tamen quo ad fœminas iterum certi casus, quibus etiam in lucris prodest, ut l. 8. §. 2. ff. qui satisd. cog. ubi succurritur mulieri, quæ iudicatum solvi servum fideiussorem per ignorantiam juris acceperat, ut ei ex integro caveatur. Difficilis sanè locus, quem tamen facilitati restituit Cujac. ad l. 7. in comm. ad Papin. quæst. lib. 19. Cujus scrinia compilare nefas sit. Reliquos casus recenset. C. I. A. th. 4. num. 3. h.

39. Quanquam verò, ut dixi, regulariter in lucris nemini succurratur, contra tamen ætatem adhuc imperfectam locum hoc non habere, retro Principum statuta declarant. l. 11. C. h. Exemplum præbet minor in l. 2. C. si advers. solut. l. 2. C. de in integr. rust. l. ult. C. si advers. delict. Quod tamen secùs in minore Jcto, arg. l. 9. §. 3. h. & l. 2. §. 43. de O. I. Hunn. ad Treutl. vol. 2. disp. 4. in resolut. th. ult. conf. Bœc. Class. 6. D. 10. th. 40. 4.

40. Succurritur quoque militi in lucris. l. 9. §. 1. ff. h. t. l. 1. C. h. Ratio est in l. ult. C. de jur. delib. Add. Tacit. Agricol. 9. 2.

41. Quandoque etiam rust. co. in compendiis condonatur ignorantia juris. d. l. 9. §. 3. ff. h. Quod etiam probat l. pen. C. qui admitt. ad bon. poss. vid. Cujac. lib. 17. obs. c. 19.

42. Hactenus quid juris in lucris. In damnis hæc regula comprobata est: Omnibus juris error in damnis amittendæ rei suæ non (hæc particula, SUÆ, NON, in Edit. Gothæfr. Ann. 1626. & 1628. incuria typographi ommissa sunt) NOCET. l. 8. in fin. ff. h. t.

43. Sensus est: juris error in damnis amittendæ rei suæ nullis, neque maribus neque fœminis nocet vel damnum affert. Ita enim exponendum est: OMNIBUS NON NOCET, id est, nullis. Græci vertunt εδὲνα βλάπτει. Simile exemplum est in l. 5. §. 3. ibi: si omnes non satisderint, id est, si nulli. ff. de Leg. tut. Et hoc modo propiores erimus Philosophis.

44. Nec facessit negotium, quod Duarenus ad l. 8. C. h. t. & maxime c. 3. de cond. in deb. id aliter explicet: Omnibus non, id est, non omnibus: ut sic error juris quibusdam tantùm in damnis noceat, non autem nullis. Explicationis auctoritatem ac exemplum sumit ex l. 9. §. 1. ff. si quis caut. in jud. sist. & c. ubi ait Vlpianus; omnes servos statos non esse, id est, non omnes statos esse, sed quosdam. Huic addi potest locus apud Cicer. lib. 2. off. cum omnes non possint, ne multi quidem, esse jurisperiti aut disertis, id est, non omnes possunt. Et apud Quintilian. lib.

lib. 12. *Instit. Orat. c. 9.* Cum protinus respondendum est, omnia parari non possunt, id est, non omnia possunt parari. Et sanè non rara sunt aliàs hujus particulae *NON* præposterationis exempla in jure nostro. Vide quæ affert in *Tractat. de Thesaur. lib. 217. Ampliss. ac Doctiss. Ictus, Dn. D. Caspar. Bitschius, Præceptor sive, (ut Dd. nostri loquuntur) Dominus meus sempiternâ grati animi memoria colendus, (de quo mihi impensè gratulor, arte nostrâ etiam me imbutum esse, quam, ut in aliis honestis artibus dicit Plinius Epistol. 3. lib. 3. plurimum refert à quo potissimum accipiat.) Illis si lubet adde l. 11. §. 1. ibi: potest non recusare, id est, non potest recusare. ff. ad Exhib. l. 82. §. 2. ibi: Qui ancillam *NON* meretricem libidinis causa surripuit &c. id est, qui ancillam meretricem *NON* libidinis causa &c. ff. de furt. vid. Bach. ad *Instit. p. 857. §. 2.* ibi: non omnino id est, omnino non l. de donat. Dis. Pac. *Instit. h.**

45. Verùm ut in allatis exemplis forsan id sit necessarium: hinc tamen sit erroneum & superfluum. Nam in l. 7. h. t. simpliciter dicitur: suum petentibus (& sic damnum rei suæ amittendæ avertere volentibus) errorem juris non nocere.

46. Et hoc comprobatur quoque illustre exemplum in l. 79. de leg. 2. Ubi liberti Patroni (quibus Patronus prædia per fideicommissum ab uxore sua herede instituta, reliquerat, cum illa moreretur, tradenda: moriens uxor, tam suis quam Patroni mariti libertis eorundem prædiorum fructum, id est, usum fructum, reliquit.) Ignorantia juris (quæ in eo fuit, quod existimarint Patroni fideicommissum ipsis relictum, nullo vinculo juris, sed tantum pudore ipsius uxoris Patroni contineri, ut olim obtinuit. §. 1. l. de fideicom. hered.) lapsi, omissio in Patroni testamento relicto fideicommissum, alterum fideicommissum uxoris, cum cæteris hujus libertis petierunt. Unde quærebatur, an perceptione secundi fideicommissi peremptum sit primum in Patroni testamento relictum? Non idèd peremptum, respondet Ulpianus, videri. Nam, ut dictum, ignorantia juris in damnis amittendæ rei suæ, & suum petentibus non nocet. d. l. 7. & 8. b. Plura exempla sunt, in l. 9. C. h. l. 1. pr. ff. ut in poss. leg. vel fideic. l. 2. §. 22. ff. de SC. Silanian. Quæ explicare singula jam sit præter institutum.

47. Sic quoque fœminis non nocet: e.g. si mulier ignorantia juris lapsa anteriores creditores petitioni dotis anteferi patiatur. Quia rem suam petit, quæ dominio suo nunquam abscellit. l. 30. C. de jur. dot.

48. Esto itaque altera conclusio: ignorantia juris nulli nocet (neq; maribus, neque fœminis,) in damnis amittendæ rei suæ, neque suum

42.
qui-
itur
iam
nem
b. 19.
1. th.
suc-
non
præ-
vers.
43.
ff. 6.
C. h.
gno-
bon.
com-
non
a ty-
ullis,
enim
tunt
us de-
hilo-
t. &
non
ceat,
umit
stos
locus
esse
ilian.
lib.

suum petenti. *dd. ll.* Ubi notandum res *SVAS*, & *SVVM* in *d. l. 7. & 8.* dici, non tantum quod *SVVM* est *proprietate*, sed etiam quod *SVVM* est *obligatione*, id est sibi debitum. Et ita sapissimè in posteriore sensu in jure sumitur, ut *l. 129. pr. de R. l. l. 44. junct. l. 19. §. 1. de cond. indeb. l. 5. C. de pet. hered.* Sic meum in *l. 37. de Reb. cred.* In priore sumitur in *l. 27. §. argento. de aur. & arg. leg. l. 34. eod. Add. Bris. de V. S.*

49. Antequam hic abeam; gravissima prius quaestio attingenda est, An igitur etiam indebitum per ignorantiam juris solutum possit repeti condictione indebiti? Quod utique probabiliter videri poterat, cum videatur repetens de damno vitando laborare ac suum petere. Sed expressissima verba *LL.* repetitione cessare jubent, *l. 10. C. h. l. 9. C. ad L. Falced. l. 9. §. 5. ff. b.* Ut mirum sit Donello *lib. 1. comm. 6. 21.* quemquam, allegatis *LL.* cognitis, errorem suum non animadvertere. Nolo igitur hic recensere Glossographorum varias distinctiones ac objectiones, quibus Baro *ad §. 1. 1. Quib. mod. re contrah. obl. & Giph. ad d. l. 10. C.* confer etiam Duaren. *de condit. indeb. cap. 3.* satisfecerunt. Ne crambem saepius coctam apponere videar.

50. Illud tamen nullam habet dubitationem minori hoc casu dari condictionem indebiti, *l. 25. ff. de minor.*

51. Reliquum est, ut dicam, sed paucis, quatenus in delictis ignorantia juris excuset sive noceat. Et generaliter notandum hactenus *dict.* conclusionem non servari in delictis. Etiam si, qui per ignorantiam juris deliquit, saepè versetur in damno rei suae amittendae, ob poenam delicti irrogatam. Hoc autem casu illa non noceat *d. l. 8. h.* Attamen *d. l. 8.* generalitas non eousque extendenda est. Agitur enim ibidem de damnis ex negotiis civilibus provenientes: ut hoc explicatius deducit Donell. *in comm. lib. 1. c. 22. pr.* Nocet itaque in delictis ignorantia juris.

52. Sed hic iterum duplex est defensio: tum quoad personas; tum quoad delictum. Illas quod attinet, excusantur, quae doli sunt incapaces, ut infantes, impuberes, furiosi: unde neque *L. Aquil. tenentur. l. 5. §. 2. ad L. Aquil.* Quae enim culpa in eis sit, cum suae mentis non sint, inquit Pegasus, *d. l.* neque homicidii: cum illos innocentiam consilii tueatur: hos fati infelicitas excuset. *l. 12. ff. de sicar.* neque injuriae. *l. 3. §. 1. ff. de injuriis.* Neque vi bonor. raptor. *l. 2. §. 19. ff. de vi bon. raptor.* Neque vis illata. *l. 1. §. 6. ff. ne vis fiat ei qui in poss.* Et sic in caeteris delictis. Proximos verò pubertati hoc jure excusationis in totum non gaudebunt. *l. 23. ff. de furt. l. iii. pr. de R. l. cap. 1. & 2. extr. de delict. puer.*

53. Por-

§3. Porro, quod ad delictū spectat: tūm hoc vel prohibetur jure naturali: ut adulterium, *l. 42. ff. de V.S. incestus. l. 38. §. 2. ff. ad L. Iul. de adult.* Et nō datur excusatio à pœna propter illius juris ignorantiam, neq; fœminis, neq; minoribus. *d. l. 38. §. 1. pr. ff. b.* Quanquam in his aliquando ad pœnæ moderamen proficit *d. l. 38. §. 1. 23. de furt. l. 37. §. 1. de minor.* Neque rustico. *l. 2. C. de injus voc.* Neque militi, imd hic gravius punitur. *l. 14. ff. de pœnis. Confer. l. 7. §. ult. ad L. Iul. Majest. l. 11. pr. ff. ad L. Iul. de adult.* Et meritò, quia nemo ignarus juris naturalis, aut potest esse, aut præsimitur. *Cujac. ad l. 7. b.* Fieri enim nequit, ut non vel semel se naturalis ratio vindicet, & hæc delicta non perpetranda esse, obiiciat. Unde tales Cyclopes extra & contra naturæ leges progredientes, Apostolus ad Romanos. *c. 1. v. 20.* dicit esse ἀναπολόγητος.

§4. Aut civili: E. gr. si incestus, qui contra solam juris civilis observationem (velut inter adoptivos) committatur. *d. l. 38. §. 2. ff. ad L. Iul. de adult. Conf. Ampliss. D. Doct. Locamer. Doctorem ac Patronū meum perpetuo honoris cultu venerandum, ad §. 1. a. l. de nupt.* Et mulier, minor, ab incesti crimine erunt excusati. *d. l. 38. §. 2. & 4.* Ut & alii, qui contra constitutiones principum nuptias contraxerunt, si scilicet errore acerrimo non affectato decepti sint. *l. 4. C. de incest. nupt.* Item iis, qui ad testamenta scribenda adhibentur, si aliquod emolumentum ipsis futurum scribant; venia datur deprecantibus pœnam L. Cornel. ob ignorantiam. *l. 3. C. de his qui sib. adscrib. in test.* Sic filix, quæ dictante matre suâ per ignorantiam juris legatum sibi scripserat, venia tribuitur. *l. 15. §. 5. ff. ad L. Cornel. de fals.* Sic militi quoque. *l. 5. C. de his qui sib. adscrib.* Sic rusticus & mulier, qui se deferunt ad fiscum; ignari juris sui excusantur. *l. 2. §. ult. de jur. fisc.* Hæc tamen non pertinebunt ad omne jus civile: Excipitur enim casus in *l. 11. §. ult. ff. de his qui not. inf.* ubi, licet prohibitio sit juris civilis sive prætorii, ne quis uxorem intra annum luctus ducat, tamen notatur infamiâ; quamvis per errorem juris hoc fecerit.

§5. Claudat disputationē hanc ignorantix juris effectus non potestremus: qui hic est quod illa excuset à dolo. *l. 2. §. 6. de pet. hered. l. 7. §. 4. de jurisd. l. 1. §. ult. de Edend. l. 3. §. 22. ad SC. Syllan. l. 2. ff. si quis in jus voc. non terit.* Ubi scilicet legibus additum est, si quid dolo malo fiat: hoc si abfuerit, indistinctè excusatio tribuitur: sive prohibitio sit juris civilis, ut *l. 7. §. 4. de jurisd.* sive naturalis, gentiumve, ut in furto, rapina, *l. 1. §. ult. de furt. §. 1. l. de vi bon. rapt. vid. Donell. comm. lib. 1. cap. 22. qui hæc plenius.*

C

§6. Hoc



56. Hoc tamen adhuc quæri poterat: An etiam excuset à lata culpa? Negativam cum Bachov. *ad Treutler. vol. 2. disput. 4. th. ult. B. defendere*, veritati proximius est, contra Coraf. Zaf. Hunn. sed cum distinctione. Confer interim Parthen. *Litigios. lib. 1. c. 11. n. 24. & seqq.*

Et hæcenus *παχυσεπέρον* delineasse ignorantiam juris sufficiat. Equidem animus erat materiam hanc, ut & ignorantiam facti subtiliori ac pleniori penicillo exprimere, nisi turbæ militares in patria, animum sapiissimè disturbassent & calamum. Et quem non Stoicum de statione deliciunt illæ? Itaq; pacem te poscimus omnes, bonarum artium altricem ac alumnam. Interea, ut verbis Justiniani denique claudam, cujus verborum autoritate quoque exorsus: Qui, non erubescimus, inquit, si quid meliùs etiam horum, quæ ipsi priùs diximus, hoc sancire (ego sentire) & competentem prioribus imponere correctionem. Nov. 22.

ad inveniendum

mus, hoc sancire (ego sentire) & competentem prioribus imponere correctionem. Nov. 22.

in fin. p. prefat.

Δόξα Θεῷ.



IGNO

IGNORANTIAE JURIS

Triumphatori felicissimo Dn. JUSTO BILSTEINIO
Juris Utriusq; Doctorando, Fautori Ami-
co & *Συνοίτῃ* honorando ac
amando.

Monstrorum genitrix sacra Ignorantia Juris,
Qua res exosum jus facit, illa facit;
Et vocum aucupia & contorta sophismata & astus
Lethi - & liti feros, retiaq; alba, logos.
Hoc debellato monstro, pie JUSTE, triumphas.
Scilicet hanc sicut debet habere vixit!
Jurisnum facti est inscitia, scribit eidem
Omnis quando dicam Curia, nulla nescit?

Gratulabundus scripsit

Joh. Conrad. Dannhavver SS. Theol. D.
Prof. & Ecclesiastes.



Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to contain several lines of script.

1828 J



ULB Halle
005 714 745

3



VD17







DISPUTATIO INAUGURALIS
DE

12 276.

IGNORANTIA JURIS.

1640, 2.

QUAM

Christo Præside omniscio,

EX

DECRETO ET AUTHORITY

MAGNIFICI ET AMPLIS-

SIMI Jctorum ORDINIS IN CE-
LEBERRIMA ARGENTORATENSIIUM
UNIVERSITATE,

PRO

*Summis in utroque Jure honoribus, privile-
giis ac immunitatibus Doctoralibus
ritè consequendis,*

SOLENNI examini submittit

JUSTUS Bilstein / Marsbergâ-
Westphalus,

die 7 16. *Aprilis* Marty, Anni 1640.



ARGENTORATI
Typis JOHANNIS REPPIL.

